



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. III. De appellari ab excommunicatione, interdicto & suspensione.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](#)

gularit, modum in corrigoendo non exce-  
dit, conceditur enim in c. *Irrefragabili*  
13. de offic. Iud. ordinari. contra tales, mo-  
dum notabiliter in correctione exceden-  
tes, aut formam præscriptam non obser-  
vantes appellatio, ita ut talem appella-  
tionem nec privilegia concessa impedi-  
possint, quia tunc Prælatus seu Superior  
potestate suâ abutitur; quæ tamen ipsa  
appellatio, sicuti ordinariè non impedit  
aut suspendit executionem, sed tantum  
effectum devolutivum parit, ita etiam  
excessus ille, ob quem fuit facta appella-  
tion, non tantum exprimi debet in Libello  
appellationis, sed etiam probari debet,  
cùm non presumatur.

## §. III.

De appellatione ab excommunica-  
tione, Interdicto & suspensione.

Potest quidem à sententia excommu-  
nicationis & interdicti appellari, neu-  
tra tamen censura per appellationem,  
quæ latam excommunicationis aut In-  
terdicti sententiam subsequitur, suspen-  
ditur, prout sumitur ex c. *Adhac* 37. iunct.  
*Gloss. V.* interdictum, b. t. sed part tan-  
tum effectum devolutivum, quod idem  
etiam dicendum est de suspensione ab  
officio Divino, & à suspensione ab ingressu  
in Ecclesiæ juxta c. *Iscui* 20. de senten ex-  
communi. in b. cùm eam censura secum  
trahat executionem sententia, quo magis  
sic sit timeatur, & ne per appella-  
tiones tales viliscat auctoritas Ecclesiæ, &  
censura contempnatur, consequenter  
non habebit effectum suspensivum post-  
posita appellatio, sed tantum devoluti-  
vum, ut Judex ad quem examinare pos-

sit, utrum justè lata sit, & absolvere ab  
ea, si videatur, aut remittere pro abso-  
lutione ad excommunicatorem v.g. quin  
imo non obstante appellatione tali non  
impeditur Iudex, qui excommunicavit  
v.g. aliquem, quominus talem excom-  
municatum esse, denuntiet publicè, pro-  
ut statutum habetur in c. *Pastoralis* 53. 6.  
Verum. b. t. vix tamen hodie fieri hoc  
posse videtur post Concil. Constant. Ex-  
travag. Ad evitanda, ubi de vitandis &  
non vitandis excommunicatis statuitur.  
Cettius est, cùm ea, quæ à communi-  
jute exorbitant, extendenda non sint, in-  
cit. autem c. Is cui illius tantum suspen-  
sionis, per postpositam appellationem,  
executionem non impeditur dicitur, quæ  
fit ab officiis Divinis aut ingressu in Ec-  
clesiam, consequenter de aliis suspen-  
sionibus, ab ingressu v. g. in rei alicuius  
possessionem, à percipiendis fructibus be-  
neficiorum &c. intelligi hoc non debet; &  
probabiliter etiam intelligi hoc non de-  
bet de suspensione, quæ fit ob delictum  
merè præteritum, & non tam medicina  
contumacia, quam pœna delicti est.

## §. IV.

Virum appellari possit in causis seu  
factis Notoriis?

R espondetur, in talibus causis non ad-  
mitti appellationem, quæ effectum  
habet suspensivum, e. *Pervenit*. 13 & c.  
*Consuluit* 14. b. t. cùm appellationes con-  
tra talia notoria sint frivola, interim ta-  
men non tantum effectus devolutivus  
huic tali appellanti conceditur, sed à de-  
claratione etiam notorii admittitur etiam  
appellatio suspensiva, cùm Judex in de-  
claratione notorij errare possit. Potest

au-